Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Hoc iteravit sanctus bis et tercio. At homo ut erat sopori-
tus a somno ocius excitatus auri sonum amicie percrebat.
surgensque virum secutus agnovit per umbram esse sanctum
Nicolaum. pedibusque illius prostratus adiurans ait. Parce
quid agam sanctissime pater. At ille inquit. Iam tuas
filias noli tali scelere consenciendo maculare. sed va-
de easdem filias viris trade iusta copulacione. et ex
ipso auro quod tibi opus est prepara. et hoc plura quod numquam tibi
deficiet. At ille confessus est sancto quod pre nimia sua paup-
tate tale scelus exquisisset. Tunc demum spopondit atque
promisit numquam se tali sceleri consentire. sed exhortaciones
sancti viri modis omnibus adimplere. Igitur sic a beato viro in-
structus atque corroboratus celestis pabulo predicacionis
una cum filiabus irreprehensibilem deo vivante vitam duxit.

De diabolo a cypressi arbore fugato

Quodam quoque tempore a plantaria castello ad
sanctum virum Nicolaum homines venerunt. qui ei
pariter supplicantes dicebant. Reverentissime
pater petimus deposcimusque tuam sanctissimam benignitatem.
ut auxilium nobis conferre digneris. quia valde nobis
incidere necessarium est unam magnam cypressi arborem
iuxta nostrum castellum stantem. et in ea sentimus immun-
dum spiritum habitare. qui nobis non permittit incidere illam.
Si ergo tu posueris manum tuam. credimus quod incidimus.
Tunc ait servus dei Nicolaus. Eamus fratres pariter. fiat
voluntas domini nostri ihesu christi. Cumque ad radicem arboris
ventum fuisset timore perculsi metuebant percutere lignum.
Ad hec fiducialiter beatus intrepidus signum exprimens crucis.
cum securi septem percussiones manibus suis in arborem
dedit. et laborantibus in nomine domini incidere illam precepit.